

Dominum propitiandum, iis debita justitiae Dei persolvenda, iis compensanda delicta, iis veniam emerendam: quamvis enim largitate misericordiae culpam remiserit, poenam tamen retinere disciplina justitiae: hanc esse poenam, quae satisfactionibus redimenda sit. In hanc tamen sumam recidunt omnia, nos quidem a Dei clementia delictorum veniam impetrare, sed intercedento merito operum, quibus peccatorum noxa compensetur, quo debita justitiae Dei satisfactio persolvatur. Talibus mendaciis oppono gratuitam peccatorum remissionem, qua nihil in Scriptura clarius praedicatur. Primum, quid est remissio nisi merae liberalitatis donum? Non enim remittere dicitur creditor, qui antapoccha testatur sibi numeratam pecuniam: sed qui nulla solutione, ulro sua beneficentia nomen expungit. Cur deinde *gratis* additur, nisi ad tollendam omnem satisfactionis opinionem? Qua igitur confidentias suas satisfactiones adhuc erigunt, quae tam valido fulmine prosternuntur. Quid autem? quum Dominus per Jesuam clamat: Ego sum, ego sum qui deo iniquitates tuas propter me, et peccatorum tuorum non ero memor: an non aperto denuntiat, causam et fundamentum remittendi a sola sua bonitate se petere? Praeterea quum Scriptura universa testimonium Christi deferat, quod per nomen ejus sit accipienda peccatorum remissio: nonne alia omnia nomina excludit? Quomodo igitur per satisfactionem nomen accipi docent? Neque vero hoc se dare satisfactionibus negent, etiamsi ipsae intercedant quasi subsidia. Nam quod Scriptura ait, *per nomen Christi*, intelligit nihil nos asserre, nihil nostrum praetendere, sed sola Christi commendatione niti: quemadmodum Paulus asserens, quod "Deus erat mundum sibi in Christo reconcilians, non imputans propter ipsum hominibus delicta," modum rationemque mox subjicit, "quia pro nobis factus est peccatum, qui peccati expers erat."

Verum qua sunt perversitate, et peccatorum remissionem, et reconciliationem, fieri semel dicunt, quum in gratiam Dei per Christum in Baptismo recipimus: post Baptismum, resurgentem esse per satisfactiones: sanguinem Christi nihil prodesse, nisi quatenus per claves ecclesiae dispensatur. Nec de re dubia loquor, quum suam impuritatem clarissimis scriptis prodiderint: nec unus aut alter, sed universi Scholastici. Nam psorum magister, postquam Christum in ligno poenam peccatorum soluisse, juxta Petri doctrinam, confessus est: subjuneta illico exceptione tentiam illam corrigit, quod in Baptismo omnes peccatorum poenae temporales relaxantur: sed post Baptismum, poenitentiae beneficio minorantur: ut ita simul cooperetur crux Christi et nostra poenitentia. Sed longe alter Joannes: "Si quis peccaverit, ait, habemus advocationem apud Patrem, Iesum Christum: et ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Scribi vobis, filioli: quia remittuntur vobis peccata propter nomen ejus." Certe fidelibus loquitur, quibus dum Christum proponit peccatorum propitiacionem, non aliam esse satisfactionem ostendit, qua offensus Deus propitiari placarive possit. Non dicit, Semel vobis per Christum reconciliatus est Deus, nunc vobis alias rationes quaerite: sed perpetuum facit advocationem, qui sua intercessione in Patri gratiam nos semper restitut: perpetuam propitiacionem qua peccata expientur. Est enim illud perpetuum verum quod alter Joannes dicebat: "Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccati mundi." Tollit (inquam) ipse, non aliud: hoc est, quando ipse solus est Agnus Dei, solus quoque oblatio est pro peccatis, solus sacrificio. Nam quum jus et potestas ignoscendi proprias competit in Patrem, ubi a Filio distinguitur, ut iam visum est: in altero gradu Christus hic locatur, quod poenam nobis debitam in se transferens, reatum,